

FASCICVLVS SENTENTIARVM RHITMICARVM, AD COMMVNE COLLOQVIVM O-mnibus perquam seruientium.

QVIBVS INSERTÆ SVNT aliquæ ambiguitates verborum.

Ex Libris Conv. Crac. Fratrum Carmelit. a [redacted]

Ad Lectorem.

Hæc qui scire volebat libros mille legebat,
Ista sciet, crebro qui leget hocce libro,
Quem fert congestum tibi de tot millibus vnum,
Krasinius lechici culta propago soli.
Quod gratus paruum Lector ne despice donum.
Adiiciet grato munera plura dato.

Anno Domini, 1622.

ILLVSTRI AC GENEROSO D.
ALBERTO DE DROBNIN KRI-
SKY: OLIM MAGNI CANCELLARII
Reg. Poloniç Filio Dño & Fratri ſuo amiciſsimo.

In Nobile *Kriſciadum Stemma.*

Generoso Dno Laurentio Milonskij Filio Magnifici Dni Hieronimi de Oporow Milonsky Administratoris Zupparu Cracovien[sis] etc etc etc Sac. Reg. Mttis Adamus Bernardus Bakowskij, petit accipiat in signum amoris plaudite Dnus studiosis

Vt Leo non curat quamuis ſit maximus hoſtis;
Hunc minus aſt murum quum tenet, ille timet,
Sic quoque Kriſciadum metuit nil alma propago.
Illius quoniam robore dextra valet.
Et mage quę firmi teneant faſtigia muri,
Nil conſcire illis murus aheneus eſt.
Quod tua vel virtus cunctis monſtrabit vtrumque,
O ALBE[illegible]E ſimul fortis es atque pius.



Abſti-

Abstinentia in cibo & potu.

EX *magna cæna stomacho fit maxima pæna*
Vt sis mane leuis sit tibi cæna breuis.
Pone gulæ metas & erit tibi longior ætas
Esse cupis sanus sit tibi parca manus.

Item.

Autumni fructus caueas ne sint tibi luctus
Pauca voluptati debentur, plura saluti.
Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo
Sanior esse potes, si cum moderamine potes.

Amor.

Nescio quid sit amor, nec amo, nec amor, nec amaui.
Hoc scio quisquis amat, tangitur igne graui.

Amare & non amari durum est.

Illi pæna datur qui semper amat nec amatur
Est amor ingratus cum non sit amator amatus.

Nec modus nec requies nisi mors reperitur amoris.

Cedit amor verus ab amantis pectore serus.
Vnam semper amo cuius non soluor ab hamo

Amor vincit omn

Blandus emitto dulci lita tella veneno
Sunt mihi præda homines, sunt mihi preda Dii.

Amor fugiendo vincitur.

Cede venus cædit, si stas Venus improba lædit,
Si fugias Veneris prælia tutus eris.
Quæ specie Martis venit venit victoria Parthis.
Hac Venerem fugias, qua fuit illa fugas

Amor ex aspectu nascitur.

Est oculo gratum speculari semper amatum
Non affectatur lumen quæ non speculatur,

Amoris signum.

Pallida furtiuum facies monstrabit amorem
Qui pallent oculis procul absunt lumine cordis.

Amans miser est.

Quot campo flores tot sunt in amore dolores
Heu dolor est satis discedere rebus amatis.

Amor obcæcat.

Cæcat amor mentes quamuis sint hæ sapientes,
Quamuis fædatur cuius placet hocque amatur.
Quisquis amat ranam ranam putat esse dianam,
Quisquis amat ceruã, ceruam putat esse Mineruam
Quisquis amat luscam, luscam putat esse venustam.

Item.

Vrit amor cæcus non est amor arbiter æquus,
Nam deforme pecus indicat esse decus.

Aff[illegible]tio sæpe satiat.

Vidi saluatos prius anxietate grauatos.

Afflictis Deus adest.

Auxilium Christi venit ad nos tempore tristi,
Quando timor maior, tunc Deus est propior.

Animalia hominem in quibusdam superantia.

Sus preit auditu linx visu, simia gustu,
Vultur odoratu superat, aranea tactu.

Animalia elementis tantum viuentia.

Quatuor ex puris vitam degunt elementis,
Chameleon, talpa, & maris alec, ac Salamandra,
Alecem vnda fouet flammæ pascunt Salamandram
Nutrit aer, alit tellus talpam, sed Chameleontem.

Canis.

De cane laudando quatuor bene disco probando,
Est lingua medicus, dominique fidelis amicus
Aedes custodit, fures latrandoque prodit.

Sus.

Sus male pinguescit cum furfure, sed bene crescit.

Animalia quędam producentia ex se insecta.

Bos dat apes, bruchos dat equus, fuc[illegible] quoque mulus,
Dat vespas asinus, sic ait Isidorus.

Amicitia.

Audiui dici quod duo sint semper amici.
Nemo sibi satis est eget omnis amicus amico.

Amicus certus in re in certa cernitur.

Hunc fidum dico bene qui succurit amico
Sorte patet misera quæ sit dilectio vera.
Et veluti fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Amici cum fortuna mutantur.

Tempore fælici multi numerantur amici
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

Amicus est per necessarius.

Vsque amicorm bonus hic & vbique locorum.
Rex est mendicus cui non est vllus amicus.
Tunc mors optatur cum nullus amicus habetur

Amantium iræ amoris reconciliatio est.

Ira perit subito quam mouit amicus amico.

Amicus bonus auro preciosior.

Plus valet infido bene fidus amicus amico
Quam nimium plena est auroque ære crumena.

Amicorm omnia Communia.

Ve[illegible] tibi dico q[illegible] dicit amicus amico

Amico falso nihil peius.

Rebus in humanis tria sunt peiora venenis,

Peruer-

Peruersus socius, mala fæmina falsus amicus.
Non est veridicus subridens omnis amicus.

Amici signum.

Verus amicus erit qui plus me quam mea quærit,
Qui mea plus quærit, falsus amicus erit.

Adulator.

Plus nocet lingua adulatoris quã gladi9 persecutoris.

Adulatio modo est vtilis.

Blandus adulator cunctis modo charus amator
Tu quoque gratus eris si Parasitus eris.

Vel sic.

Si vis laudari si vis charusque vocari
Discas adulari nam tales sunt modo chari.

Arcana celanda.

Res occultandæ tacitis sunt participandæ
Omnibus vt placeas, quæ mala scis taceas.

Ars & Doctrina.

Ars cum doctrina certa est animi medicina,
Hanc si quis quærit credite tutus erit.

Artium liberalium proprietates.

Grammatica ars loquitur Dialectica res meditatur,
Rhitmos dulcisonos Musica dulcis habet.
Fert Arithmetica ars numerum, dat pondera rebus,
Metria at astra docens Astrologia potens.

Artes liberales à iuuentute amplectendæ.

Disce bonas artes tenero quas tempore tractes
Discere ne cesses si doctor maximus esses
Artem scruteris quamuis opulentus haberis
Audi doctrinam si vis euitare ruinam
Doctrinæ cultus spernit nemo nisi stultus

Damna negligentis studiosi.

In studio tria damna luo si non bene disco,
Nummos cosummo, modicum scio, tempora perdo.
Si puer hoc sciret quantum doctrina valeret,
Raro dormiret, sed nocte diuque studeret.

Item.

De studio sero redeuntem videro cum te,
Ecce quid edisti non queram quidue bibisti,
Aut quid fecisti, sed quæram quid didicisti.
Mens sine doctrina manet in te certa ruina.

Vtilitas Artium maxima.

Scribere tu modulari disce Latinaque fari
Si pauper fueris, post modo diues eris
Non sit Par stulto studuit qui tempore multo
Non bene qui didicit, codrus egenus erit.

Quo spectat illud.

Exceptis Græcis exceptis atque Latinis,
Barbarus hos præter dicitur omnis homo.

Item.

Vt ver dat florem, flos fructum, fructus odorem,
Sic studium morem, mos sensum, sensusque honorem
Musas disce bonas doctos sonet vndique tellus,
Artem qui sequitur pauper raro inuenietur.

Qui alios docet se ipsum docet.

Discere si quæris, doceas, sic ipse doceris,
Et studio tali tibi proderis atque sodali.

Artes liberales hæc secum bona ferunt.

Ars valet, ars durat fortuna recedere curat,
Res valet, ars præstat, si res perit ars mihi restat,
Plus probo thesaurum docti quam diuitis aurum,
Ars si portatur, tunc portans non oneratur,
Ars fertur leuiter, tu discas ergo libenter.

Ars se se offert quærentibus eam.

Discat qui nescit nam sic sapientia crescit.

Assiduitas in studijs exigitur.

Quis puer auditus vel visus in arte peritus?
Ni promptus fuerit, sic non doctus erit
Surge puer vigila, canta, lege, disce, vel ora
Et caueas pereat sine fructu quælibet hora
Sic erit hora breuis, sic labor ipse leuis

Asiduitate aquiritur doctrina.

Discere quærere, sæpe reuoluere, sit tibi cura
Hec tria sunt via· qua sapientia sit valitura.

Gutta cauat lapidem non vi sed sæpe cadendo
Sic homo fit doctus non vi sed sæpe studendo
Frangitur ad latices nux iterando vices

Via ad Sapientiam consequendam.

Multa rogare rogata tenere, retenta docere,
Hæc tria discipulum faciunt superare Magistrum.
Quære, recorderis, retine, & lege sæpe retenta
Sic omnes claues tibi dat sapientia recta.

Astutia.

Astu vincit homo cuncta creata Solo.

Auaritia fugienda.

Luxum omnem fugito, simul euitare memento.
Crimen auaritiæ, nam sunt contraria famæ.

Auari odiosi sunt hominibus.

Nunquam stat clarus nec tutus diues auarus.

Auarus semper eget.

Æstimat esse parum sibi quicquid habet cor auarum
Omnia des cupido sua non perit inde cupido.
Diues semper hiat pars maior quo sibi fiat
Non est in mundo diues qui dicat: abundo.

Item.

Orco siue mari cor æquiparatur auari.
Hæc magis optantur quæ plenius accumulantur,
Nam faciunt mentem semper maiora petentem.

Perpetuo lignis crescit crescentibus ignis,
Et quo plus potæ, plus siciuntur aquæ.

Cupidus magis maiori damno afficitur.

Qui binos vna lepores sectabitur hora,
Vno quandoque & quandoque carebit vtroque.

Auarus congesto pauper in auro.

Crescit amor numini quantum ipsa peccunia crescit,
Et cupidus mihi sat numerorum dicere nescit.
Diues es vt Cræsus, sed viuis pauper vt Irus,
Quid tibi cum nummis si pauper viuere tu vis.
O nulli chari quibus hoc est nomen auari
Vos faciunt inopes quas cumulatis opes. vide

Auarus requirit prodigum.

Aurum quod seruas & quicquid auarus aceruas,
Quot parcus quæres effundet prodigus hæres.
Prodigus est natus de parco patre creatus.

Auari non sibi sed alijs thesaurisant.

Vt sibi nulla bidens aliis sed vellera portat
Sic aliis cumulat diues auarus opes.

Auari misere viuunt.

Dormit nocte parum gestans cor semper auarum,
Terrore est plenus ne quando fiat egenus.
Diuitis Ostia sunt clausa sed non sine causa.
Nam metuit dentes quos portans esurientes.

Item.

Caseus est carus sic dixit præsul auarus,
Non inscindatur sed profestis teneatur.
Non obulus solus pingue parabit olus.

Audaces fortuna iuuat.

Qui plus exponit, plus luctri sæpe reponit
Qui lucra parua fugit damna repente subit.

Aula.

Aula quid est morum corruptio praua bonorum
Inconstans, fallax, certa & sentina malorum.

Aula non cuilibet amica.

Retro sedet valuam non inuitatus ad aulam.

Item.

Stabit post valuam non inuitatus in aulam.

Qui cupit esse pius longe discedat ab aula.

Fætor olet caulæ melius quam nobilis aulæ.
Vita Palatina heu dura est animæque ruina.
Quo plus aulicus es, minus es pietatis amicus,
Si cupis esse pius, te fuget aula prius.

Kyrie qui senuere canant Eleison in aula.

Regum sollicita quicunque senescit in aula,
Aut fuit aut semper postulat esse miser.

Adam primus homo.

Adam primus homo damnauit sæcula pomo.

Fasciculus.

Abstulit hoc damnum filius ipse Dei.

Æger.

Ingemit ægrotus quia languet corpore totus.

In infirmitate citius ad Deum conuetimur.

Quando languebat monachus bonus esse volebat
Sed dum conualuit, mansit vt ante fuit.

Accuso Incuso.

Incuso Dominos, accuso sæpe minores

Æquus & Equus.

Ambiguitates.

Non est dignus equo cui carior est equus æquo.

Affinis, Confinis.

Affinis genere est, confinis sanguinitate,

Ara & Hara.

Est Hara porcorum, sed dicitur ara Deorum.

Assensus, Consensus.

Assensum verbis, consensum dic fore factis.

BAPTISMVS.

Induitur Christo qui Baptisatur in isto.

Bellum.

Miles amnans belli faciat omnia iure duelli,
Ludit, Scortatur. rapit omne, cruore beatur.

Dulce bellum inexpertis.

Qui vult in bellum, nescit bene noscere bellum.

Sententiarum Rhitmicarum.

Martis incerta alea & dubius euentus.

Est nulli certum cui det victoria sertum
Et tamen hoc munus semper habeto bonus.

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

Quid mihi cum bellis, seruit mea cura puellis,
Mars modo disperat, me Venus alma beat.

Bene faciendum proximo.

Fac bene dum viuis, post mortem viuere si vis,
Huic bona qui præstat, cælum post famaque restat.

Item.

Da cito, da gratis, da munera digna cuique,
Cum dare non poteris munera, verba dabis.
Qui mihi vult dare non debet mihi dicere: Quare?

Bonum imitandum.

Si vis saluari semper studeas imitari
Vitam iustorum, fugias exempla malorum.

Basium, Osculum, Suauium.

Basia coniugibus, verum oscula dantur amicis,
Suauia lasciuis miscentur grata puellis.

Ambiguitates.

Bellum, Duellum, Pugna, Prælium.

Multorum bellum, fit binorum fitque duellum,
Pugna virorum fit, sed prelia dic mulierum.

CÆCITAS.

Cæcos cum claudis in fine venire videbis.

Cæci vita misera.

Cæcus inops dictus quamuis variis sit amictus.

Neque cæcum ductu neque amentem consilio adhibe.

Cæcus agens cæcum facit illum sternere secum
Stultus cum suadet non recte singula tradet.

Vel sic.

Dum cæcus cæcum conatur ducere secum,
In foueam ductor cadit, atque deinde sequutor.

Campana.

En ego campana haud quaquam denuncio vana,
Laudo Deum verum, populum voco, congrego clerum
Funera plango fulgura pello, sabbata pango,
Excito lentos, dissipo ventos, paco cruentos.

Captiuitas.

Nil prodest vno constringi vel pede bino.

Caritas.

Care taxata haut mihi res est vendita grata.

Castitas.

Despice fætorem Veneris, sectare pudorem,
Si castus fueris, Christum super astra videbis.

Virginitas irreuocabilis.

Bis duo signaui quæ non poſsunt reuocari
Virginitas, tempus dictum verbumque, iuuentus.

Concordia.

Lis odium gignit, charos concordia stringit

Conſcientia mala morſus animę.

Me miserum quid agam? porto ſub pectore plagam,
Tanquam si portem ſub eodem pectore mortem.

Secura conſcientia iuge conuiuium.

Qui sibi nil conscit secura mente quiescit.

Conſilium.

Non ad præteritum Consul valet, imo futurum
Consilium verum, hoc anima est certiſsima rerum.
Vtere Consiliis vt ſæpius inde iuueris.

Conſilium non cuiuslibet eſſe contemnendum.

Non contemnatur quisquis bene consiliatur.
Nec sit neglecta ſerui sententia recta,
Sæpe etiam stultus fuit oportuna locutus,
Et cælat nucleos arida testa bonos.

Conſortium malum fugiendum.

Qui conuersatur cum Sanctis sanctificatur
Dum spectant oculi leſos læduntur & ipsi
Fili talis eris qualem ſocium tibi quæris
Surgit origo mali de turpi ſæpe ſodali.

Con-

Fasciculus

Consuetudo induit naturam.

Consuetudo potens natura fortior ipsa,
Fallere qui didicit, falere semper amat,
Turpia qui didicit, turpia semper amat,
Ire cathennatus nescit canis inueteratus
Quot noua testa capit, inueterata sapit.

Conuiuium.

In mensa residens & panem non benedicens,
Ille sedet quasi sus, surget quoque sicut asselus

Benedictio Mensae.

Alma Dei dextra hæc benedicat prandia nostra,
Escas præsentes benedic Deus & comedentes,
Potum seruorum benedic Deus alme tuorum.
Et reliquum munus benedicat trinus & vnus.

Vel sic.

Hic cibus & potus per Christum sit benedictus,
Per te Rex Christe benedictus sit cibus iste.
Nos conuiuantes benedic Deus & epulantes.
Præsens hic victus per Christum sit benedictus.

Mores mensæ.

Absit a mensa detractio, murmur, & ira,
Sed cum lætitia summatur potus & esca,
Absint offensæ cum fit celebratio mensæ,

 Dum

Dum conuiuaris, caueas ne multa loquaris,
Pocula dum summis fac mergas labra modeste,
Qui prepe fert nasum potum non summit honeste.
Qua prandes hora cultrum male mittis in ora,
Fit similis stulto qui mandere vult sine cultro.

Item.

Sal primo poni debet primoque reponi,
Nam tibi mensa male ponitur asque sale.
Nec bene prandebit potu quicunque carebit.

Gratiarum actio post mensam.

Nunc ex hoc esu soli tibi laus sit Iesu
Atque sit inuictus Deus omnipotens benedictus.

Caseus.

Post pisces nuces, post carnes caseus adsit,
Caseus & panis sun optima fercula sanis.

Cereuisa.

Densa facit densos capiti cereuisia fumos
Sanguinem nutriens, carnis & ipsa parens
Tumque sitim petit ventrem subducit & inlat

Caro porcina.

Carnes porcinæ cum cæpis sunt medicinæ.

Con-

Contentiones fugiendæ.

Laudo quod vites fili charissime lites
Lis odium gignit, charos concordia stringit,
Certamen, lites, rixas, & iurgia vites,
Verba parant litem, lis prælia, prælia mortem.

Concordia res paruæ crescunt discordia maximæ dilabuntur.

Gaudent prædones cum discordant regiones,
Ni concors fuerit gens cito cuncta perit.

Clementia.

Quo magis es dignus, mage debes esse benignus.
Et quo maior eris moderatior esse teneris.

Reges decet clementia.

Ad pœnam tardus, sit rex ad præmia velox,
Et doleat quoties cogitur esse ferox.
Parcere subiectis scit nobilis ira leonis.

Fr Seraconi Kocelkomer S T M 1682

Clericus.

Clericus annosus, licet imber sit furiosus,
Frigora non curat quam dudum oblatio durat.
Clericus in messe semper vult rusticus esse.

Cito fit, cito perit quandoque.

Quæ subito veniunt, subito quandoque recedunt,

Quod cito lucratur, cito perditur annihilatur.

Crapula sanitati multum obest.

De plenis Cyathis multos periisse sciatis
Sicut sobrietas facit vt sit longior ætas,
Sic facit ebrietas vitæ breuiare dietas.
Viuere vis lætus, vel sana mente quietus,
Dæmonis vt linum, sic mordax effuge vinum.

Cura.

Cura facit canos quamuis homo non habet annos;
Interpone tuis interdum gaudia curis
Non semper mæstus sis certo tempore lætus.

Canis.

Latrat in æde canis, nat in æquore, fulget in astris.

Carbo, Pruna.

Dum calet est pruna, ast carbo dum desinit ignis

Cæsaries, Coma, Crinis, Iuba.
quo differant.

Est coma quadrupedis, colubri iuba siue leonis;
Cæsaries hominis, crinis est proprie mulieris.

Capistrum frænum.

De ferro frænum, constat de fune capistrum.

Cerno, Considero.

Corpo-

Corporeis oculis cerno, considero mente.

Confiteor, Fateor.

Confiteor sponte, fateor mea facta coacte

Consummere, & Consumare.

Consumare meum exopto consumere nolo.

Conuentus, Conuenticulum.

Est monachorum conuentus, hominumque piorum
Sed conuenticulum dicas pietate carentum.

Corrusco, mico, radio.

Sol radiat, mucroque micat, fulgurque coruscat.

Cubo cum suis compositis.

Accumbens dormit, discumbens fercula summit,
Concumbens violat, procumbens numen adorat,
Occumbens moritur, victus succumbere fertur,
Qui cubat ægrotat, vigil excubat, incubat ales.

Cubitum, cubatum.

Sanus eo cubitum, male sanus vado cubatum

DAMNVM.

Assiduo damnum crescit cura, atque querelæ.
Nescit homo vere quid habet nisi cesset habere.

Quæ damnosa sunt.

Sunt tria damna: macra, nempe: anser fæmina, capra,
Lac capra non promens, expers pinguedinis anser,
Et sine dote vxor, sunt tria damna viri.

Dare est melius quam accipere.

Illum nullus amat qui semper da mihi clamat
Qui dat nilque petit, gratior ille manet.
Qui dare vult aliis non debet dicere: vultis?
Sed dicat plene; dulcis amice tene.
Pauperibus fac des, præstare haut talia tardes,
A Domino recipit qui sua sæpe dedit.

Qui cito dat, bis dat.

Dandi tolle moras, dando cito munus honoras,
Munus dedecoras, inueniendo moras,
Qui cito dat bis dat, qui tardat munera nil dat,
Plus valet hoc, tribuo, quam tribuenda duo.

Animus magis quam donum inspiciendus.

Dat bene, dat multum, qui dat cum munere vultum
Gratia debetur pro munere si cito detur,
Sed si tardetur, non gratum munus habetur.
Da tua dum tua sunt, post mortem iam tua non sunt.

Deliciæ.

Mentes corruptas excæcat blanda voluptas.

Delicijs ad astra non itur.

Fle si lætari ieiuna si saturari,
Da si ditari, serui si vis dominari.
Sperne voluptatem pulchram cole sobrietatem,
Hæc quos prostrauit, virtutibus euacuauit,
Hæc quos subiecit, pecudes sine robore fecit;
Hæc regit, hæc munit, superis coniungit & vnit.

Deus.

Quærit adorari, non sibi dona dari.

Deo nihil est melius.

Auro quid melius? Iaspis, quid Iaspide? virtus,
Quid virtute? Deus, quid Deitate? nihil,
Factum factori summo præponere noli.

Deus quos amat castigat.

Hic homo torquetur, quo sic patiendo probetur,
Vt mens purgetur, quo præmia plura lucretur,
Ne sublimetur sed Christo gloria detur
Et præseruetur ne perpetuo crucietur.

Item.

Qui modo torquetur nescit quam magna lucretur,

Cum furit atque ferit Deus, hic mox parcere quærit.
Nunquam bella piis nunquam certamina desunt
Et cum quo certet mens pia semper habet.

Ex creaturis Deus cognoscitur.

Emicat ex ipsis Diuina potentia rebus
Omnis in orbe locus fert Deitatis opus.

Deus dedit, Deus abstulit.

Dat Deus & recipit quod nobis contulit ipse,
Destruit & rodit sors omnia quæ Deus odit.

Diuina ope opus est sine qua nihil boni facere possumus.

Ex ope cælesti fit si quid habetur honesti,
Et venit a superis quod agis bene, vel mediteris,
Frustra conatur cui non Deus auxiliatur.

Item.

Non Deus est mendax promissa fideliter seruat,
Credite desertos non sinit esse suos.

Deus vltro suppeditat sua dona.

P*anibus ex quinis, & pisciculis quoque binis,*
Dextra Diuina saciatantur millia quina.

Si Deus nobiscum quis contra nos.

Si Deus ipse iuuat, mihi prospera vita perennat
In Domino dirum, mortificabo virum.

Ex fructu arbor cognoscitur.

Affectus mentis facti patet experimentis,
Arbor vt ex fructu, sic nequam noscitur actu.

De alieno corio ludere.

Læditur Vrbanus non claudicat inde Romanus
Scindo corrigias ex pelle tua mihi latas,
Si calcar proprium sit, equus tuus, ambulo multum.

Debitum.

Debita solue cito ne damnum detur amico,
Si cito non soluis, te sponte crimine voluis.
Debita quæ debes reddendo soluere debes.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quę Dei Deo.

Cum Deus in cælis, Cæsar regat omnia terris,
Censum Cæsaribus soluite, vota Deo.

Desidia, Ignauia, Pigritia.

Quæritur Ægistus quare sit factus adulter,
In promptu causa est; desidiosus erat,
O mihi præteritos reuocet si Iuppiter annos.
Sera nimis stultæ est cantio desidiæ.

Catthus edit piscem sed non vult tangere flumen.

Detractores, Detratio.

Si decus est morum ne cures verba malorum.

Item.

Qui mea post terga loquitur mordatia verba,
Vellem quo linguam perderet ille suam.

In detractorem.

Qui me lædere dente vis canino,
Te circumspice protinus tacebis.

Diabolus.

Dæmon crede crucem fugit, vt malus vndique lucem
Dæmon lucratur iam quo Deus expoliatur.

Diues.

Quis vere locuples? cui famulantur opes.

Diuitiæ.

Diuitiis vti res est aduersa saluti,
Diuitiis est raro sanctificata caro.

Diuitiæ authoritatem conciliant.

Dum diues loquitur, verbum Salomonis habetur,
Dum pauper loquitur, tum barbarus esse videtur.
Dum moritur diues concurrunt vndique ciues,

Dum moritur pauper, currit vix vnus & alter.
O diues diues non omni tempore viues
Tempore nam paruo tu iam migrabis ab auro.

Plus est sollicitus magis beatus.

Dormit nocte parum possessor diuitiarum ,
Hunc timor exagitat, quem gaza superflua ditat.
Quid facies diues nunquam tutus bene viues ,
Quo te conuertas, quo cursum perdete vertas ,
Reddit Sollicitum te copia denariorum.

Qui nihil cupit diues est.

Cui satis est quod habet , satis illum constat habere,
Cui nihil est quod habet satis illum constat egere;
Ergo facit virtus non copia sufficientem ,
Et non paupertas , sed mentis hiatus egentem.
Semper egenus eris , si semper plus tibi quæris ,
Cum contentus eris, diues tunc efficieris.

Discere.

Discat qui nescit nam sic sapientia crescit.
Multi scire volunt sed vere discere nolunt.
Disce libens quid dulcius est quam discere multa ,
Discentem comitantur opes , comitantur honores.
Haurit aquam cribro qui discere vult sine libro.

Vel sic.

Doctus neglectis qui vult euadere libris,
Nil profecturis littora bobus arat.

Via ad veram doctrinam consequendam.

Si studuisse velis, tria cauta mente tenebis;
Sis humilis, castus, paruoque cibamine pastus.

Domus.

Gaudeat illa domus, quando bonus est sibi pronus.

Damna domus cuiuslibet.

Sunt tria damna domus: nimbus mala fœmina, fumus,
Quartum cum mane surgunt pueri sine pane

Dominus.

Nemo potest dominis simul in seruire duobus;
Deficit ambobus qui vult seruire duobus.

Nonnulla dominos pauperes efficientia.

Nempe canis, & aues serui multique caballi,
Dicuntur dominos sæpe vorares suos.

Dormitatio, id est somnolentia.

Qui iacet in lecto lucem spectando diei,
Sensus & vtilitas tardius dantur ei.

Vigilantem esse oportet.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto,
Nam diuturna quies viciis alimenta ministrat,

Decedo, Discedo.

Decedit moriens, discedit ab vrbe recedens

Decorus, Pulcher.

Te virtus pulchrum, reddit natura decorum.

Donum, Munus.

Dat meritum munus, sed confert gratia donum

Duco, Nubo.

Vir sponsam ducit, sed sponso fœmina nubit.

EBRIETAS, Vinolentia, Bibacitas.

Simiolos facit ebrietas, facit & salomones,
Samsones, nec non efficit illa sues.
Ebrius est Samson, Salomon, sus, simia, Cræsus,
Tam variis polet dotibus ebrietas.

Effectus ebrietatis.

Bis sex credatis species sunt ebrietatis:
Ebrius est primus, sapiens, est alter opimus,

Ternus grande vorat, quartus sua crimina plorat,
Quintus luxuriat, sextus per nomina iurat,
Septimus accendit, bis quartus singula vendit,
Nonus nil cælat quod habet sub corde reuellat,
Somnia denus amans, vndenus turpia clamans,
Et cum fit plenus vomitum facit & duodenus.

Item.

Ebrius atque satur signis his ecce vagatur,
Hic canit, hic plorat, hic est blasphemus, hic orat,
Hic est pacificus, fit mox nullius amicus,
Hic saltat lætus, post est sermone facetus,
Hic loquier nescit, tum cespitat, ille pigrescit,
Hic est clamosus, hic est verbis viciosus,
Disputat hic, ille est currens per compita villæ,
Hic seruit Veneri, somno vult ille teneri,
Nunc vomit atque vorat, sic Bacchi turba laborat.

Ebrietate mutatur homo.

Bacchus & argentum mutant mores sapientum,
Reddunt delirum: fœmina, vina virum.

Ebrietas opes & honores minuit.

Diues eram dudum, me fecerunt tria nudum,
Alea, vina, Venus, tribus his sum factus egenus.

O fili sperne delectamenta tabernæ,
Tali dulcore multi priuantur honore.
Quod in corde sobrii hoc in lingua ebrii
Ebrietas prodit quod amat cor, siue quod odit.

Sapientia vino abuntur.

Ebrietas frangit quicquid sapientia tangit,
Ebrius atque satur nunquam bene Philosophatur.
Fecundi calices nunquam faciunt sapientes.

Ebriosus optaret sibi gruis collum.

Primo quando bibo cupio plus gutturis, imo
In cordis fundo iubilo dum lambo secundo,
Per ternum potum vix vinum fit mihi notum,
Me potus lætum quartus facit atque facetum,
Et potus quintus lætari mentem facit intus,
Et bibo cum bis ter sum qualibet arte magister,
Potu septeno velut equus sum sine fræno,
Potus bis quartus sensus mihi tollit & artus,
In potu nono iam tum mea singula dono,
In potu deno demens sum gutture pleno.
Omnibus est notum quod valde diligo potum,
Si possem vellem pro potu ponere pellem.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Repletus venter vult luxuriare libenter,
Luxuriat raro non bene pasta caro.

Exitus rei alicuius.

Exitus ostendit quo mundi gloria tendit
Laus in fine sonat, virtus in fine coronat.

Exitus actu probat.

Vide
Præmia sanctorum pendent a fine laborum,
Et scriptura sonat: finis non pugna coronat.

Item.

Quod niue contegitur dum nix perit omne videtur,
Quando tumet venter, produntur facta latenter.

Expensæ sunt moderandæ.

Qui plura expendit quam rerum cura rependit,
Non admiretur si paupertate grauetur.

Factum bene, male.

Non laudo factum nisi sit cito vel bene factum.
Verbum laudatur si factum tale sequatur.

Item.

Ex meritis vitæ dependent ite, venite,

Præmia cælicolum qui bene fecit, habet.

Facta male alterius non cælenda.

Si mihi parebis nunquam malefacta silebis,
Nam mala qui cælat se consentire reuelat.

Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.

Quod sibi quis fieri nolit non inferat vlli,
Hoc facies fieri quod cupis ipse sibi.

Fallacia.

Non capitur vacuis manibus vetus vlla voluerit, cris
Nec vulpes laqueo prenditur absque cibo,
Prendite feruenter mures, sine voce latenter,
Muribus insidians cattus vt ipse facit.

Fallaces homines vitato.

Si non vis falli fugias consorcia calui, Ti Ac
Extra cerne sophum, cernas sub pectore vulpem.

Fallaces sermones vitato.

Sunt tibi vitandi sermones vndique blandi,
Pelle sub agnina latitat mens sæpe lupina,
Decipit esca feras, homines blandissa verba;

Nec credas isti semel a quo læsus ab isti.

Fames.

Esuriens stomachus fertur cocus optimus esse,
Ori dulcescit faba frigida quando famescit.

Fides.

Ni sit nota fides ignoto non bene fides.

Fide, sed cui vide.

Qui leuiter credit, deceptus sæpe recedit,
Ne credas balbis, ne credas vestibus albis.

Nusquam tuta fides.

Heu quam parua fides reperitur nunc apud omnes,
Iam frater frarem fallit, nasus quoque patrem,
Quis modo pro socio vult quæso soluere? nemo.
Omni spiritui tu semper credere noli.

Finis coronat opuus.

Te modicum iacta, quoniam probat exitus acta,
Totum laudatur, si finis laude putatur.

Forma corporis.

Vix poteris aliquam pulchram reperire pudicam

Esse

Esse solet raro pulchra pudica caro.

Formosi sunt viciosi.

Rarus erit pulcher qui non sit factus adulter,
Lis nam cum forma est magna pudicitiæ.

Non fotms sed genus aspiciendum.

Dat probitas speciem, sed non species probitatem,
Qui probitate caret, nil sua forma valet.

Nam.

Si bene barbatum faceret sua barba beatum,
Nullus in hoc circo queat esse beatior hirco.

Fauor, beneuolentia.

Fratia regalis non est res perpetualis,
Gratia Magnatum nescit habere statum.

Flores.

Non laudo florem qui nullum præbet odorem
Cuique odor est melior, flos erit vtilior.

Fortuna.

Rebus tranquillis metuas aduersa sub illis

Fortunæ exceſsus mutat hominis cito greſsus.

Fortuna inæqualis omnibus.

Non est æqualis ſors omnibus & generalis,
Omnia mutantur magis, ac magis & variantur.
O bona fortuna cur non es omnibus vna?
Dixit fortuna: ſi starem sorte ſub vna
Et non mutarer, tunc non fortuna vocarer.

Fortuna variabilis.

Vultus fortunæ variatur imagine lunæ;
Creſcit, decreſcitque in eodem sistere neſcit.

Fortuna quem fouet ſtultum efficit.

Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opesque
Hæc tibi demonstrant, per bona quid sit homo.

Aſperius nil eſt miſero cum ſurgit in altum.

Dum ſurgunt miseri, nolunt miseris misereri.
Corde stat inflatus qui pauper honore beatus
Non vult ſcire satur quid ieiunus patiatur;
Non vult ſcire ſocrus quid fuit illa nurus.

Fortunam sibi quisque parat.

Dicitur a multis: sors est contraria stultis:
Nullus homo est natus qui ex omni parte beatus.

Alterat humanos sors malefica status.

Non sibi concordem spondent exordia finem,
En modo vadit equus, qui solet ire pedes,
Glorior elatus, descendo mortificatus,
Infimus axe teror, rursus ad astra vehor.
Hoc est consuetum comitantur tristia lætum,
Irus & est subito qui modo Cræsus erat

Fortuna omnia versat.

Quos vult sors ditat, quos non vult sub pede tritat
Mutat fortuna ipsa vota stans cuncta sub vna.
Tempora passiua hæc rident fugiuntque datiua,
Gaudia dant luctus, bonus est post tristia fructus.
Si fortuna volet fiet de Rhetore consul,
Si fortuna nolet, fiet de Consule Rhetor.

Fratres.

Si videas fratres inter se bella gerentes
Neutri confer opem, sed eorum corrige mentem.

Phænix sed rarior est concordia fratrum.

Fur, Furta.

Si semel es furans, furis titulum accipe durans

Fures domeſtici.

Quisquis habet cultum, lacerumque foramine ſaccum,
Et corruum, mures, certos habet hic sibi fures.

Furto res ablata magis ſapit.

Furtiuus potus plenus dulcedine totus,
Hoc mage crede ſapit, quod sibi quisque capit.

Occaſio facit furem.

Hora, locus, faciunt quod fures non ſua tollunt,
Si videor ludo, si non, tunc furta recludo.

Fures punendi.

Fur furatur equum, ſuspenditur & manet æquum,
Tum fiunt paces, cum pendent fune rapaces.
Audax furando, furtum timet haut aliquando.

Futura.

Per vigili cura semper meditare futura

Solius est Dei nosse futura.

Cursus ventorum nescit pars vlla virorum,
Præterit ista dies, nescitur origo secundi,
Sit labor an requies ? sic transit gloria mundi.
Soli crede meo nosse futura Deo.

Prouide futura si vis esse sine cura.

Disce quid es, quid eris, memor esto quæ morieris.

Forceps, Forfex, Forpex.

Fex est filorum, ceps ferri, pexque capillum

Falgere, Nitere, Splendere.

Gemma nitet, Sydus splendet, candelaque lucet.

Fur, Latro.

Fur non est latro, quia tempore fur rapit atro,
Tempore non atro rapit omnes res tibi latro.

Fur, Furfur.

Fur simplex latro, geminatum fit cibus apro.

GARRVLITAS.

Si cupias pacem linguam compesce loquacem,
Iurgia dat multa hæc dum profert verbula stulta.
Virtutem primam esse putes compescere linguam
Proximus ille Deo qui scit ratione tacere.

Gaudium.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Tempora gaudendi sunt, tempora certa dolendi.

Vltima gaudij occupat luctus.

Felt latet in melle, & nec mel bibitur sine felle,
Frigora post soles, post gaudia sæpe dolores;
Hoc est consuetum comitantur tristia lætum,
Postquam gaudebis, rursus post gaudia flebis.
Gaudia terrena hæc non esse queunt sine pœna,
Gaudia Diuina semper sunt absque ruina.

Spiritus tristis exsiccat ossa.

Cor triste, ira frequens, mens raro gaudia voluens,
Hæc nimis abbreuiant vitam, nam corpora macrant

Gloria.

Cura plenus eris, si vis vt glorificeris,

Gloria cælestis fit corde & corpore castis.

Gratia.

Gratia grata magis subita est, dilata molesta.

Gratia gratiam parit.

Officiis gratus sis, vt fias adamatus,
Sæpe solet dici: serit hic rem dextera amici;
Si des plorando, perdis tua munera dando.
Debet parua dare hic qui vult maiora rogare,
Da quandoque tuum si cupis inde meum.

Gratitudo.

Sit cordis festum panem meminisse comestum:
Arbor honoretur cuius nos vmbra tuetur.

Gallus.

Gallus auis, populus, fluuius, Bacchique sacerdos

Galerus, Mithra, Pileus, Thiara.

Pileus est iuuenum, peregrinatumque galerus,
Præsulis est mithra, fit nobiliumque thiara.

Genero, Gigno, Pario.

Fæmina sola parit, generat vir, gignit vterque.

Grates, Gratia.

Gratia sit Christo, grates referamus amico.

Homo.

Mentem de cælo, corpus trahit ex elementis,
Vt terras habitet corpore, mente polum.
Quid sit homo? breuiter dicendo somnus & vmbra,
Spiritus ore fluens, ventus, & vmbra leuis.

Item.

Est homo res fragilis quæ durat tempore paruo
Est igitur similis flori qui crescit in auro.
Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus,
Vnde superbimus cum terrā terra redimus?

Formatio hominis in vtero.

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Partes hominis ex quibus constat.

Ossibus ex denis bis centenisque nouenis
Constat homo, denis bis dentibus & duodenis,

Ex ter centenis decies sex quinqueque venis.
Dat cerebrum sensum, vitam cor hepar nutrimentū
Cor sapit, ac pulmo loquitur, fel commouet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Hominis miseria.

Est hominum status per florem significatus,
Vt flos cito perit, sic homo puluis erit.
Cur caro lætaris quæ vermibus esca pararis,
Cur non praua sinis, puluis es atque cinis.
Quid caro? vilis humus, quid carnis gloria? fumus.
Nos quoque terra sumus nam caro fiet humus.
Puluis & vmbra sumus, puluis nil est nisi fumus,
Sed nihil est fumus, nos nihil ergo sumus.

Hinc ergo.

Quid sis, quid fueris, quid eris, semper mediteris
Sic minus, atque minus peccatis subiiceris,
Sperma prius, modo saccus olens, post vermibus esca.

Honor.

Res *honor est dulcis, sed magnum pondus honoris.*

Honores mutant mores-

Sæpe suos mores homo mutat propter honores
Interea similis permanet ille sibi.

Honores magis onera sunt.

Et quid honos? onus est & nil nisi sarcina quædam,
Si quæratur honos, non fugiatur onus.

Res sacræ & imagines in honore habendę.

Effigiem Christi semper dum transis honora,
Non tamen effigiem, sed quem designat adora,

Item.

Non hunc vt Christum, sed Christum crede per istum

Sacra ne prophanes.

Ex templo gentes Christus percussit ementes.
Expellit templo Christus qui sacra prophanant.

Hospes Hospitalitas.

Hospitis in mensa vultum non fercula pensa.

Item.

Dum mea bursa sonat caupo mihi fercula donat.

Item.

Vesca-

Veſcatur propria cui non placet hoſpitis eſca,
Eſca datur gratis vinum mos eſt vt ematis.

Aſsiduus hoſpes minus gratus fit.

Post tres ſæpe dies ſordeſcit piſcis & hoſpes,
Ni ſale conditus ſit piſcis, & hoſpes amicus.
Turpius eiicitur quam non admittitur hoſpes.
Aſsideat foribus non inuitatus honeſte.

Hoſpes qualis debet eſse.

Hoſpicii rector ſemper ſit fortis vt Hector, Vide 13
Vt Iob ſit paciens, vtque Sibilla ſciens.
Inque domo alterius tu hoſpes ne ſis curioſus,
Quod iubet hoſpes agas ſi vis euadere plagas.

Regula burſalis.

Regula burſalis ſit cuncto tempore talis:
Fercula fer tecum ſi vis læc ſumere mecum.

Hoſtis.

Plus nocet vt noſtis ad cuncta domeſticus hoſtis.

Minimus hoſtis non contemnendus.

Quantumuis humilem nunquam neglexeris hoſtem,
Enecat ingentem vipera parua bouem,
Corporis exigui vires contemnere noli

A cane

A cane non magno sæpe tenetur aper.

Humilitas.

Regina verè maxima
Virtutum humilitas omnium,
Et omnia superbia
Radix malorum pessima.

Quanto sublimiores sumus tanto nos submissius geramus.

Cum fueris maior cunctis te crede minorem,
Nam sic a cunctis magnum portabis honorem.

Humana omnia vana.

Quod breuiter durat, quis prudens quærere curat.

Hospes.

Est hospes tractans, & qui tractatur ab illo.

IACTANTIA.

Te modicum iacta quoniam probat exitus acta.
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis,
Semper inest stulto stolidæ iactantia mentis.

Indoctus.

Quicquid Aristoteles sublimi mente reuoluit,
Clericus indoctus per verbum NESCIO *soluit.*

Ingenium.

Ingenio polet cui vim natura negauit.

Inge-

Ingenium vires superat.

Ars animum frangit, firmas ars destruit vrbes,
Arte cadunt turres, arte leuatur onus,
Quicquid spectatur mundo hoc ex arte paratur,
Nam solet ars dominum sæpe iuuare suum.

Ingenio magis quam libris innitendum.

Cordi non chartæ tradas quæ noueris arte,
Nam si charta cadit, mox tota scientia vadit.

Vel sic.

Qui multos versat libros, nec perficit arte,
Tantulus in mediis stat sitibundus aquis.

Ingratitudo.

Turpius ingrato mundo nil credite toto
Cui si quis dederit protinus omne perit.

Ingratis quicquid datur & canibus perit omne.

Ingratis, senibus, pueris, mulieribus haut des,
Si dederis quicquam pro certo credito perdes.
Sunt homines humeris nam quos si quis portet ad vrbem.
Gratia præteriti nulla laboris erit.
Quod facis ingrato certo perit vndique fato.

Iniuria.

Puluere qui lædit, ſed læsus marmore ſcribit.

Diu recordamur boni, mali diutius.

Quisque boni meminit ſat longo tempore facti
Longior ipſa mali fit sed memoratio damni.

Interrogatio.

Sæpe fit ingratus qui quærere multa paratus,
Tu vero pauca petas gratus vt eſſe queas
Per cunctatorem fugito, nam garrulus idem,
Sæpe fit ingratus qui sine fine rogat.

Infamia.

Illos deuita quos infamat mala vita.

Item.

Sol mane primo prodiens, mulier latina garriens,
Vinoque pastus pusio, raro decore finiunt,

Falſum probrum non perueniat vltra aures.

Si decus est morum ne cures verba malorum.
Si non morderis, cane quid latrante vereręris?

Non eſt remedium aduerſus morſum Sicophantæ.

Lingua cito lædit, ſed læsio non cito cedit,

Os, ho-

Os, hostis, raro loquitur bona non sibi charo.
Scindit ventosa gladio plus lingua dolosa.
Qui mea post terga loquitur mordacia verba,
Vt linguam vellem perderet ille suam.

Inuidia.

Inuidus alterius rebus marcescit opimis,
Solaque pernicies inuidus ipse sibi.

Inutile.

In mundo duo sunt quæ nil abscondita prosunt;
Fossus agro census, latitans sub pectore sensus,
Inutile est vere pondus quoque fœmina terræ,
Nam (testor fata) est fruges consummere nata.
Nil valet in bellis vir inermis, vt absque libellis.
Clericus est mutus, licet ingenio sit acutus.

Ira obcæcat animum.

Impedit ira animum ne possit cernere verum,
Tu diram compesce iram parit illa furorem

Irasci noli temere nil fœdius ira.

Res loquitur diras cum quis feruescit ob iras,
Dum canis os rodit, socium quem diligit odit.

Ira extincta non accendatur iterum.

Irritare canem noli dormire volentem,

Nec moueas iram post tempora longa latentem.

Non facile cuique irascendum.

Multum delirassi cunctis porrigis iras.

Ira facile frangitur.

Frangitur ira grauis cum fit responsio suauis
Et lis accrescit dum stultus cedere nescit.
Iras sustollis si sit responsio mollis,
Mollificat diram responsum mollius iram.

Amantium iræ amoris reintegratio.

Ira perit subito quam mouit amicus amico.

Iudex qualis debet esse.

Iudicis est recti nec munere, nec prece flecti
Iudex æquus erit qui æquum non munera quærit

Item.

Percipe festinus, percepta edißere tardus,
Si vis vt iudex constituare bonus.

Iuramentum.

Nondum dico peracta iuramenta coacta.

Ius, Iurisconsultus.

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores,
Solus Aristoteles cogitur ire pedes.

Vel sic.

Dat Galenus opes & Sanctio Iustiniana,
Ex aliis paleas, ex illis collige grana.
Vir bonus est pluris quam tota scientia Iuris.

Iuuentus.

Transit fine breui iuuenilis flosculus æui

Iuuentus ventus.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprice gramine campi,
Cæreus in vicium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix &c.

Iuuentus aptissima ad studia pertractanda.

Disce puer tenero dum flos tibi floret in æuo,
Nocte diuque caue tempus consummere praue,

Iuuenilis ætas irreuocabilis.

Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Ieiunium.

Tu ieiunabis frustra si scelus amabis,
Hic bene ieiunat qui se de crimine nudat.

Inuiſere, viſere.
Viſitat infirmum, ſed ſanum inuiſit amicum.

L A V S.

Qui ſeſe laudat laudis ſe munere fraudat

Laus propria ſordet.

Ne laudes quia laus proprio ſordeſcit ab ore,
Seſe & vicinos habet vndique prauos.

Labor.

Aggrauat ille labor quem præmia nulla ſequũtur.

Dij laboribus omnia vendunt.

Magnus honor magno plerumq; labore paratur,
Abſq; labore nihil dignum reperitur honore.
Ipſe laborato, faciem ſudore lauato,
Sic Deus & taurum tibi ſic donabit & aurum.

Qui laborat manducet.

Pabula fac habeat ſonipes dum feſſus anhelat,
Namq; ſuo vigil eſt digna catella cibo.

Vltra vires nihil tentandum.

Hoc attentabis fieri quod poſse putabis
Diſplicet ille labor ſub cuius pondere labor.
Quo minime reris de gurgite piſce frueris.

Lectio.

Lectio.

Lectio conseruat studium simul atq; gubernat.

Lectio lecta placet, decies repetita placebit.

Dentibus attritas rursus bos ruminat herbas,
Sæpius vt tritæ sint optima pabula vitæ:
Sic documenta tui si vis retinere magistri,
Sæpe recorderis dictis tibi tradita veris,

Lex.

Vt pax seruetur legis moderamen habetur.

Lex pro malis statuta tantum.

Legum edicta viris non sunt metuenda probatis,
Illa vocant tantum sub sua iura malos.

Leges modo pauperes obligant Dominis parcunt.

Irretit muscas, transmittit aranea vespas.
Sic lex non Dominos sed tantum punit egenos.

Libido.

Alea, vina, Venus, loculos prædantur & ædes,
Talia si quæris, credito pauper eris.
Qui plus quam satis est pascit sua corpora laute,
Efficiet vt sint luxuriosa magis.

Lingua.

Lingua in consilio valet, in certamine dextra.

Lingua mala multa incommoda dat.

Qui nimium fatur, stultissimus esse probatur,
Qui cupit vt sapiat, dicere pauca sciat.
Lingua malum quo non aliud damnosius vllum.
Quæ mala dum garrit, pessima quæq; parit.
Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Loquacitas.

Qui loquitur multa, hic sæpe adfert verbula stulta.

Fælix est quisquis dicenda tacendaq; calit.

Nec nimium taceas, nec verba superflua fundas,
Sed medium teneas, quo bene semper eas.

Loqui parum sapientis est.

Pauca loqui, sua verba coqui, vult prouidus, ô qui
Talibus asuescit summa cum laude senescit.
Qui bene vult fari, bene debet præmeditari,
Raro charus erit qui profert omnia quæ scit.
Fac bene, dicq; parum, si vis te reddere charum,
Fac male, dic multum, si vis te reddere stultum.

Qui dicit quæ vult audiet quæ non vult.
Os qui non claudit, quæ non vult ſæpius audit.
Ex lingua ſtulta veniunt incommoda multa.

Lucrum.

Ad lucrum mores multi ſunt non ad honores.

Lucrum paruum non fugiendum.

Qui plus exponit plus lucri ſæpe reponit,
Qui lucra lenta fugit, damna repente ſubit.

Ludus.

Nox, ignis, ludus, nunquam ſatis eſſe fatentur,
Ludere qui neſcit, luſum ſpectando quieſcit.

Lupus.

Si lupus eſt agnum, non eſt mirabile magnum.

Item.

Dum lupus in laqueo, monachus bonus eſſe volebat,
Dum lupus ex laqueo, monachus bonus eſſe negabat
Sic faciunt homines quando anxietate premuntur.

Labrum, Labium.

Labra virorum ſunt, ſed labia dic mulierum.

Lepus, Lepos.

In ſiluis lepores, in verbis quære lepores.

MAGISTER.

Eiicitur magnus paruo veniente magistro.

Item.

Ecquid in hoc toto miserum magis orbe magistro
In senium pueros qui docet vsq; suum.

Magnanimitas laudanda.

Sis animo magnus, sis moribus agna vel agnus,
Parcere subiectis scit nobilis ira leonis.

Maiori cedendum.

Cedere maiori non est pudor inferiori.

Malitia.

Sæpe mala accrescunt, cum paruis atq; senescunt.

Omnes declinauerunt in malum.

Iam fratrem, iam fallit filia matrem,
Iam socius socium, iam fallit amicus amicum,
Nullus in orbe status fœdi modo criminis expers,
Vix poterisq; bonum in mundo reperire vel vnum.

Maioribus dignus parua non contemneris.

Dignus erit magno qui parua capit iubilando,
Carnibus est dignus qui bene mandit olus.

Magnis

Magnis indignus eſt qui parua ſpernit.

Dulcia non meruit qui non guſtauit amara,
Paruum ſeruabis donec maiora videbis.

Mendacium fugiendum.

Mendacium.

Non domus eſt pacis vbi regnat lingua loquacis,
Si cupias pacem linguam compeſce loquacem,
Verboſi lites fili clariſſime vites,
Si quis amat pacem ſocium fugit ille loquacem.

Non eſt eiuſdem & multa, & opurtuna dicere.

Dico prudentes homines non multa loquentes,
Debet pauca loqui qui vult vrbanus haberi.

Nam.

Qui nimium fatur, ſtultiſſimus eſſe probatur,
Qui ſapit, ille parum garrulitatis habet.

Multa loquenti non facile credendum.

Illi credatur nunquam, qui plurima fatur.
Sæpe loquens multa hic loquitur mendacia ſtulta.

Tacenda loqui laudabile non eſt.

Vas illud futile eſt quæ nulla receptio claudit,
Sic homo fit futilis diuulgans omne quod audit.

Vel ſic.

Pondo valens graue fit, verboſum ſine claue
Raro charus erit diuulgans omnia quæ ſcit.

Mend

Mendacium nonnullis eſt commune.

Sunt homines trini: Domini, vates, peregrini;
Qui commendantur quamuis mendacia fantur.

Artificibus & mercatoribus eſt commune.

Ni mentiatur artifex,
Frigebit eius actio.

Item.

Omnis mercattor reperitur fraudis amator.

Medicina Medicus.

Magnis in morbis medico premittitur orbis.
Sed cum conualuit nil numerare cupit
Nonnullus medicus melior quam fidus amicus.

Medicina certa pro ſanitate conſeruanda.

Hæc tria ſi medici deſint, medicamina fac ſint:
Libera mens curis, fercula parua, quies.

Item.

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
Curas tolle graues, irraſci crede profanum.

Gene-

Generalis medicorum Regula.

Sit medicis semper generalis regula talis?
Vt dicant da, da, dum dicit languidus: ach, ach.

Item.

Accipe quando dolet, languor dum conficit ægrum,
Exemptus morbo nil numerare volet.

Morbus, valeletudo aduersa.

Non intellecti nulla est curatio morbi.

Infirmiores homines plerumq; ſanis diutius viuunt.

Stant infirma diu, subito robusta labescunt.
Longius inualidi viuunt sæpissime catti.

Remedia pro valetudine conſeruanda.

Ieiunes, vigiles, calcas, multumque labores,
Sit modice calidus quem placet esse cibus,
Indulgere caue cyathis, animumque coerce,
Si cupis ex morbo reuma fugare tuo.

Menſa.

Bacchus Rhenensis *decus est & gloria mensis.*
Omnis mensa male ponitur absque sale,
Deterius vero ponitur absque mero.

Conuenit in menſa te meminiſſe Dei.

Cum sis in mensa, primum de paupere pensa,
Tum bene prandetur, cum Christus adesse videtur

Pro

Pro tarde venientibus ad mensam.

Qui faciendo moram prandendi negligit horam,
Vel male prandebit, vel sedis honore carebit.

Mercator.

Non est mercator nisi sit precii mediator.
Rarus mercator qui non sit fraudis amator.

Meretrix.

Vt vigilent homines surgunt de nocte latrones,
Opprimit incautos meretrix ita turris amantes.

Meretrices pauperem hominem efficiunt.

Ædificat raras sibi vir meretricius ædes,
Exhaurit loculos luxuriosus amor.
Scorto nemo placet nisi dexteram munere placet.
Adsunt a nullo minus, meretrixq; vocati.

Metus.

Mortis linque metus si tu vis viuere lætus.

Mensis.

Quid quouis mense agatur.

Pocula Ianus amat, sed Februus algeo clamat.
Martius arua fodit, sed Aprilis florida prodit,
Flos & frons nemorum sunt Maiio fomes amorum,
Dat Iunius fæna ast, Iulio resecatur auena,
Augustus spicas, September colligit vuas,
Seminat October, plantat virgulta Nouember.

Quæ

Quærit habere cibum porcum mactando December.

Prognostica aliquorum dierum in anno.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia peste,
Si fuerint venti, designant prælia genti,
Si nix vel pluuiæ, designant tempora cara.

Item.

Si pluit in festo processus Martiniani,
Quadraginta solet continuare dies.

Miles.

Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur.
Militibus, medico, fas est occidere ludo.

Stultus miles qui sua calcaria obliuiscitur.

Stultus qui les mi, calcaria viscitur obli.

Minæ.

Si moriare minis, asini tumulabere bombis.

Qui iacit apud minas, non est pugnare paratus.

Non omnis pugnat miles qui fortia clamat,
Sæpe minus faciunt homines qui magna minantur,
Nec stillant omnes quas cernis aere nubes.

Miser.

Dulcius est miseris alienis viuere terris,
Gaudia sunt miseris socios habuisse doloris.

Est misero peius derisio quam dolor eius.

Modus, Moderatio.

Est modus in rebus sunt certi deniq; fines,
Omne nocet nimium, mediocriter omne gerendum.

Omne nimium vertitur in vicium.

Displicet immodicum, dantur mediocria laudi,
Mel nimium non mel, fel magis esse putes.
Carum vite putes, rursum contraria mutes,
Sic nec auarus eris, nec egenus iure videris.

Monachus.

Imber descendit monachus dum pergere tendit.
Non decet vt monachus vadat sine compare solus

Qualis debeat esse monachus.

Vt valeas esse monachus tibi crede necesse;
Rostrum coruiuum, dorsumq; geras asininum,
Osq; columbinum, cor ouinum, crusq; bouinum.
Ludere cum talis non est res spiritualis.

Mores hominum.

Ex verbis fatuus, pulsu cognoscirur olla,
Noscitur ex propriis moribus omnis homo.

Regula vitæ.

In templo fac sis humilis, campoq; virilis,
In lusu lætus, in mensis esto facetus,
Disce bonos mores sic te comitentur honores.

Vlulacnm lupis.

Si fueris Romæ, Romano viuito more,
Si fueris alibi, viuito sicut ibi.
Terræ ad quam pergis cape mores quos ibi cernis.
Consonus esto lupis cum quibus esse cupis.

Multa facere simul non debemus.

Pluribus intentus non est ad singula sensus,
Est vnum melius voluere sæpe librum.

Mors.

Mors mortis morti mortem nisi morte dedisset,
Cælorum nobis ianua clausa foret.

Mors omnibus vna.

Regia maiestas, omnis terrena potestas,
Transiet absq; mora, mortis, cum venerit hora.
Certum crede, mori mors nulli parcit honori,
Omnes maiores mors occupat, atq; minores,
Mors nescit legem tollit cum paupere Regem,
Debilis & fortis, veniunt ad limina mortis.
Omnia mors tollit quam nulla potentia mollit.

Mortem optare malum, timere peius.

Summum nec metuas diem nec optes,
Morte repentina noli gaudere malorum.

Mors in recenti memoria semper facenda.

Ille

Ille sapit quisquis semper meditatur obire,
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Memorare nouissima & in æternum non peccabis.

Mors tua, mors Christi fraus mundi gloria cæli.
Et dolor inferni, sint meditanda tibi.
Sis mortis memor, est hodie tibi vita superstes,
Cras fortassis erit mors obeunda tibi.

Nudus egressus es de vtero, nudus reuerteris in terram.

Nudus vt in terram veni, sic nudus abibo,
Quid frustra sudo funera nuda videns?

Motus.

Successiue fit motus.

Arbor per primum quamuis non corruit ictum
Est arbor dura decies ferienda casura,
Gutta pluit, sic vnda fluit, sic flumina crescunt,
Paucal [illegible]is, si discere vis, sic multa patescunt.

Mulier.

Fæmina præclusit nobis cælestia regna.
Christus supremas fecit adire domos.

Mulierum proprietates.

Fæminei sexus, hæc sunt insignia. flere,

Falle-

Fallere, mentiri, nere, tacere nihil.

Item.

Fæmina fallere, falsaq; dicere quando cauebit,
Tunc pisces ſquamma, & mare fluctibus ante carebit.

Fæminę longores capillos habent & breuem ſenſum.

Fæmina productos conſueuit ferre capillos,
Cur quia ſuccinctis ſenſibus ille valet
Sub longis tunicis breuis est animus muliebris,

Fæmina rariſsima bona.

Fæmina rara bona est, at ſi ſit bona digna corona.

Fæmina implacabilior ferâ.

Quatuor hæ pecudes: canis, vrſus, ſimia cattus,
Manſueſcunt hominum ſedulitate ſatis,
Fæmina nulla potest medio emendarier vllo,
Namque parum proſunt verbera, verba nihil.

Mulier ſine verberibus nihil valebit.

Nux, aſinus, mulier. ſimili ſunt lege ligata,
Hæc tria nil recti faciunt ſi verbera ceſsent.

Vel ſic:

Nux, aſinus, mulier, ſimul omnia continuata,
Non faciunt fructum niſi ſint bene combaculata.

Fæmina garrula.

Ranæ tres, & anus totidem, tres insuper aucæ,
Possunt immensum voce replere forum.

Fæmina astutijs dedita.

Dulcibus & modicis ornatur fæmina verbis,
Splendidaq; astuto, producit pectore verba.
Quæ speculum spectat, falsum male fæmina tractat.

Item.

Fæmina dum plorat, dum rusticus ebrius orat,
Dum lusor iurat, nihil hæc deuotio durat.

Mulier peior Dæmone.

Aspide quod peius? tigris, quid tigride? Dæmon;
Demone quid? mulier, quid muliere? nihil.

Munus.

Gratia nulla datur si munere munus ematur.
Munera qui mittit sperat maiora remitti.

Munera placant animos.

Munera crede mihi placant hominesq; Deosque
Placatur donis Iupiter ipse datis.
Qui spernat munus non est ex millibus vnus.
Da quandoque tuum si cupis inde meum.

Qui das aliquid da læta fronte.

Qui mihi vult dare non debet dicere: quare?
Sed dicat plene; dulcis amice tene,

Si des plorando, perdis tua munera dando,
Læte donantem diligit ipse Deus.

In illum qui accipit ab alijs munera & non remuneratur.

Vel tu redde vices, vel desine cuncta rogare,
Dedecus est semper summere nilque dare.

Item.

Vos qui nulla datis & summitis omnia gratis,
Vobis saluete duplicatur, tumq; valete.

Mundus.

Omnia sunt mundi quasi bula caduca rotundi,
In *pratis vt flos, sic perit omnis honos.*
Vt flos per magni sic transit gloria mundi.

Mutatio.

Brumales tenebræ, fauor aulæ, cum muliere,
Sicut vertebræ sunt in uertigine crebræ.
Nil cito mutabis donec meliora videbis.

Magnatum gratia mutabilis.

Gratia multorum ad tempus lucet dominorum,
Gratia magnatum nescit habere statum.

Item.

Ridenti domino, cælo ne crede sereno

Ex facili causa dominus mutatur vt aura.
Gratia regalis non est res perpetualis,

Musca.

Musca, canes mimi, sunt ad conuiuia primi,
Non inuitati veniunt prandere parati.

Non curat testudo muscas.

Si te contemnunt homines, te friuola dicunt,
Nil contra risus debes quam dicere: mi sies.
Dum bene tu viuis ne cures verba malorum.

Manus manum lauat.

Vtraque mundatur dum palmâ palma lauatur.

Malua.

Dixerunt maluam veteres quod molliat aluum.

Mamilla, Mamma, vber.

Mamillas vir habet, pecus vbera, fæmina mammas.

NATVRA.

Quod natura negat nil hoc suppleuerit vnquam,
Quod natura tulit, nemo negare potest.

Natura quemq; trahit ad sua iura.

Vulpes vult fraudem, lupus agnum, fæmina laudē.

Item.

Vncum se præbet quod curuum crescere debet,

Vrit

Vrit mature quoduult vrtica manere.

Illos devita quos natura notauit.

Raro breues humiles vidi, longos sapientes,
Albos audaces nigros rufosque fideles.
Vix erit impensus sub magno corpore sensus
Hirsutus fallax, irascens, prodigus audax,
In rufa pelle vix est animus sine felle.
Multi non rubram sed habent cum crimine nigram.

Necessitas frangit legem.

Ex legum & Regum temnit decreta necesse.

Nequam.

Nequam per verba & per odorem noscitur herba.

Quo quis nequior hoc fortunatior.

Quo nequam peior tanto sors est sibi maior.
Nam fauet ignauis sors, inimica bonis.

In angulo nequissimus.

Ipse loco nequam gaudet residere latenti,

Qui cito dignoscit nequam nequissimus ipse.

Nequior est nequam, qui scit dignoscere nequam.

Nobilitas.

Dum fodiebat Adam, filum ducebat & Eua,
Ec quis mortales nobilis inter erat?

Si pater est Adam cunctorum, mater & Eua,
Cur non sunt homines nobilitate pares?

Maxima nobilitas magno vult corpore claudi.

Est procerum vere procerum corpus habere,
Quandoquidem magnos maxima quæq; decent.

Virtute decet non sanguine niti.

Nobilitas nihil est nisi vas probitatis auitæ,
In quo virtutum delitet omne genus.
Non imitans cupide clarorum facta parentum,
Immerito nomen nobilitatis habet,

Nomen.

Sæpe datur nato varium nomen bene grato.
Conueniunt rebus nomina sæpe suis.

Nouitas.

Quæ noua sunt mox illa placent ac per bene prosunt,
Sed tum vilescnnt cunctis quando illa senescunt.
Dum clypeus splendet super altâ fornice pendet.
Sed dum vilescit, sub scamno sæpe quiescit.

Noua.

Pistorum subeas rerum studiose nouarum,
Tonsorumq; domos, vise subinde molas.

Nun-

Nuncius.

Festinus nimium caue nuncius esse sinistræ
Ingratæq; rei, grata regente refer.

Nux.

Frange nucis tegmen si cupis esse nucem,

OBLIVIO.

Qui procul est oculis, procul est a lumine cordis,
Quod fugit ex oculis fugit ex mente.
Me simul atque tuis oculis subduxero totum,
Totus & ipse tuo pectore pulsus ero.

Occasio.

Quamprimum rapienda tibi est occasio prima,
Fronte capillata, est a tergo occasio calua.

Ocium.

Ocia quisquis amat, væ, væ mihi, postea clamat.

Ocium fugiendum.

Vt mala deuites aliquid fac, ocia vites.
Ferrum vt rubigo consummunt ocia corpus,
Gutta cauat lapides, ocia fæda dies.

Ocium puluinar Diaboli.

Ocia de vita si vis bona sit tibi vita,
Desidiâ nam nil fædius esse potest.

Ocia dant vicia.

Miles amat bellum, Venus ocia, cultor agellum,
Ocia qui sequitur sine crimine vix reperitur.

Ignauos fortuna premit.

Fructus non multus fit ager si non bene cultus,
Dum dormit cattus nunquam sibi currit in os mus.

Officium.

Ceruisiæ coctor, tonsor, pistorq; manebunt
Mundo stante suo semper in officio.

Oculus.

Vult oculus nequam prius impleri stomachus quam.

Oculus custodiendus.

Custodias oculum cordis nam ianua, nullum
Vnquam exoptatur lumen quod non speculatur.

Monoculus.

Si socium vis monoculum, iungas tibi nullum,
Raro namque idem seruat in ore fidem

Oscu-

Osculum.

Oscula cum summis quid tu nisi toxica summis.

Ops, opes.

Quærit pauper opem, quærit auarus opes.

PACTVM.

Præcedens pactum bellandi disiicit actum.

Pacientia, pati.

Omnia ferre cupis necesse est vt paciens sis,
Vincere non poteris ni patiens fueris.

Pacientia vincit omnia.

Pauperior census non sit turbatio sensus,
Nulla valet tantum virtus pacientia quantum,
Quam pateris digne pœnam, paciare benigne,
Quod pateris morito pacienter ferre memento.

Panis.

Non vetus aut calidus præstet tibi fercula panis,
Sit fermentatus, sit pariterq; leuis.
Caseus & panis sunt optima fercula sanis.

Omne homini natale solum.

Si vis laudari, si visq; propheta vocari,
Ex propriis oris ito, maneto foris.

Parentes.

Nestoris annosi viuat fæliciter annos,
Auctores vitæ qui reuerenter amat.

Parentes audiendi.

Audit carnificem nolens audire parentem,
Audiet hic vitricum qui patrem spernit amicum.

Parsimonia, Parcus.

Parca manus, labor assiduus, designat habere,
Larga manus, labor insolitus desistit habere.
Si seruas quod habes commendant te sapientes,
Pluraq; si quæris, cunctis haut gratus haberis.

Pæna.

Ni castigetur petulans mox clunis habetur,
Verberibus tactus probus est, virgaq; coactus.

Pænitentia.

Qui nunquam cecidit quis talem surgere vidit?

Nullum scelus impune abibit.

Stat scelus occultum, sed non remanebit inultum,
Vltio iusta Dei digna refundet ei.
Sæpe suum proprium fecit puer ipse flagellum,
Sæpe suis manibus pro se virgamq; parauit.

Virga corrigit pueros.

Currere cogit equum sub milite calcar acutum,
Sic faciet pueros aspera virga bonos.

Pro malo nunquam bonum recipietur.

Qui mala facta facit nunquam bona præmia habebit,
Quod serimus metimus, quod damus accipimus

Peccatum.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœne.

Nemo sine crimine vivit.

Status tam Sanctus nullus toto orbe repertus
Quin habeat multos sustineatq; malos
Sola Dei soboles visus sine crimine Iesus,
Huic fuerat nullus visus in ore dolus.

Ignorantia non facit peccatum.

Dignior est veniâ erroris qui inscius errat,
Quam si quis facinus turpe scienter agat.

Scelus alterius non puniens permittit peccare.

Cum quis delinquit (ceu Paulus Apostolus inquit)
Qui consentit ei, fit reus ipse rei.

Modus vitandi peccatum.

Corrige præteritum, præsens rege, cerne futurum.

Paupertas, Pauper.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Pauperis Deus non obliuiscitur.

Nemo adeo pauper, rerum tam nullus egenus,
Quin cito ditetur si velit ipse Deus.

Pauperum opus nos esse memores.

Pauperis in causâ non auris sit tibi clausa.
Nomine sub Christi promptus largire petenti,
Si nummos non des, ne bona verba neges.

Pauper ab omnibus spernitur.

Nulli charus eris si copia deffícit æris,
Pauper vbique iacet, dum sua bursa tacet.

Pauper superbus odiosus hominibus.

Sunt tria quæ vere Salomoni displicuere:
Os mendax, fatuusque senex, pauperque superbus.

Pecu-

Pecunia.

Copia nummorum trahit ad se corda virorum.
In terrâ nummus rex est super omnia summus.

Pecuniæ obediunt omnia.

Nummus honoratur, sine nummo nullus amatur,
Qui modo ditatur nummis, is concelebratur.
Bursa referta reos soluit, peccata relaxat,
Aes sonat, vrbs plorat, vir humatur, præsbiter orat,
Leonem lena non diligit absque crumena.
Nummus in exilio comes optimus est peregrino.

Placere.

Si cupis vt placeas cunctis, probusque vocari,
Talem te præsta qualem te poscis haberi.

Ne Iupiter quidem omnibus placet.

Multum deliro si cuique placere requiro,
Cuncta qui protuit hac sine dote fuit.

Periculum.

Nemo morâ tardet paries cum proximus ardet
Fælix qui cautus de aliena sorte coactus.

Piscis.

Si pisces molles sunt magno corpore, tolles.
Si pisces duri, parui sunt plus valituri.

Poten-

Potentia.

O quam dulce foret toto mundo dominari,
Si mors non posset dominantibus insidiari;
Seruus testatur, quod felix qui dominatur.

Qui potens est scias potentia vti.

Vir videas quid nam iubeas dum magnus haberis,
Respicies quem despicias dum lædere quæris,
Prouideas ne forte cadas dum stare videris,
Dat varias fortuna vias mox ire iuberis.

Posse.

Hoc attentabis fieri quod posse putabis.

Deus ad impossibilia non obligat.

Vltra posse viri non vult Deus vlla requiri,
Disce bonum fari, bona si nequeas operari,

Non omnia possumus omnes.

Diuersis diuersa valent medicamina morbis,
Ingenio plenus vix viribus extat egenus,
Præualet in verbis qui non est fortis in armis.

Potus.

Si mihi das potum cænâ, das mihi totum.
Non bene prandebit potu, quicunque carebit,

Qui

Qui mihi dat cænam sine potu, dat mihi pænam.

Pocula multos è viuis sustinerunt.

De multis cyathis multos periisse sciatis.

Fluit melius post pocula sermo.

Post sumptum vinum loquitur mea lingua latinum,
Cum bibo bis, vel ter, sum qualibet arte Magister.
Post vinum verba, post imbrem nascitur herba,
Post studium scire, post ocia sæpe perire,
Post florem fructus, sequitur post gaudia luctus.
Qui bona vina bibunt vates, bona carmina scribũt.

Item.

Herba magis crescit pluuiis dum terra madescit,
Fit magis ex hausto lingua diserta mero.

Medicina contra nimium potum.

Si perfusa mero fuerint tua tempora sero,
Summito mane meri pocula, sicut heri.

Præstantiora meliora.

Si fueris quarum diuisor particularum,
Scias hanc artem, meliorem sumere partem.

Preces.

Qui pius implorat Christum, fæliciter orat.

Probi-

Probitas.

Osque manusq; tuas serua, & genitalia membra,
Sic transire locos peteris quoscunque remotos.

Prodigalitas, profusio æris.

Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit,
Perditur exiguo quod partum est tempore longo,
Res quæsita mora, parua consummitur hora.

Facilius est collecta dissipare quam congregare.

Nummorum magni tarde cumulantur aceruì
Sed poteris lectos dillapidare breui.

Promissio.

Regia crede mihi res est promittere multa,
At præstare fidem rusticitatis opus.
Bis non spondebis quod mox præstare vadebis

Melius est non promittere qua promissa non præstare.

Res mala res stulta est, dare nil, promittere multa.
Non mihi promittas si dare tu nequeas,
Nil dare, & ingentes auri promittere montes,
Dicitur haut par in criminis esse nota.

Prouidentia.

Retp-

Respice ventura vt post hæc non sit tibi cura.

Præuisa iacula minus feriunt.

Ne tibi quid desit præuisio prouido præsit,
Tella nocent leuius visa volare prius.

Pudicitia.

Prima pudicitia est in iuuenili corpore virtus.
Pulchra pudicitia est virtus, qua haut pulchrior vlla.

Lis est cum firma magna pudicitiæ.

Vix poteris aliquam pulchram reperire pudicam,
Rarus erit pulcher qui non sit factus adulter.

Pudor, verecundia.

Post peccata pudor prodest, post balnea sudor.
Virtutis florem perdis perdendo pudorem.

Pueritia.

Transit fine breui puerilis flosculus æui.

A teneris consuescere multum est.

Liquoris primi referunt noua vasa saporem,
Quod noua testa capit, inueterata sapit.

Pueri mane surgant & studeant.

Sero puer noti subeat sibi lintea lecti,
Illaque sollicitus deserat ante diem,
Hinc oret, legat, addiscat, canat vtile tractet,
Et studii curis usque peritus erit.

Puella.

Munera lasciuas corrumpunt sæpe puellas,
Quasque preces nequeunt flectere, dona queunt.

Pabulum, Pascuum.

Pabula sunt hominis, sed pascua dic animalis.

Parens, Parire, Parere.

Non sum prole parens, non sum nisi pareo parens.

Pater.

Est pater hic curâ, pater est alius geniturâ,
Hic pater ætate, ast pater ille vocatur honore

Populus.

Populus est arbor, populus collectio plebis.

Pluuia, nimbus, imber.

Dum pluit est pluuia, & nimbus nubibus hæret,
Dum tactu terras imbuit, imber erit.

Puella, Virgo.

Virgo pudicitiam notat, ætatemque puella.

QVÆ-

Fasciculus
QVÆRELÆ.

Læta dies annos complet bis quinq; querelis,
Assiduo damnum, lignum, crescuntque querelæ.

Quæ supra nos nihil ad nos.

Ad secreta proli curas extendere noli.
Regi namq; poli sunt omnia subdita soli.
Scire rudes quærunt quæ nulli nos docuerunt.

RARA.

Casta venustas,
Parca iuuentus,
Sana senectus,
Rara repertu.

Item.

Fæmina nulla bona, & si sit bona facta vel vna,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Rex, Regnare.

Affectus moderare & eris rex magnus in orbe,
Qui recte faciet non qui dominatur erit rex.

Regio.

Fæmina casta securis acuta, cliensq; fidelis
Hæc tria Parisiis numquam vel raro videbis.

Variarum Regionum mores.

Bauarus incestat, Francus per numina iurat,
Omnis hipocrisat Misensis, T*eutoq; potat,*
Brithanus Dominum prodit, pugnatque Polonus
Litphaui possunt multos tolerare labores,
Alec assatum Thuringis est bene gratum,
In *curta tunica Saxo saltat quasi pica.*
Parisius locus egregius, bona gens, bona villa,
Nam duo pastilla pro nummo dantur in illa.
I*talus omnis amat, verum Hispanus bene fraudat,*
V*titur & lacis prolongis* R*aura catellus.*
His appone leues Sueuos, cunctosque Grisones.
Exceptis I*talis, Belgis, Gallisque Polonis.*
I*ure potest dici barbarus omnis homo.*

Requies.

Stare diu nescit qui non aliquando quiescit
Mens tranquilla facit vis maior corporis vt sit.

Risus.

R*isus rarus sit, quod si modus illius absit,*
I*ndicium stulti hoc quod sit, dicent tibi multi.*
Ne ride solus, nam risus solius oris,
Paruus vel stultus reputabitur omnibus horis.
Per risum multum facile est cognoscere stultum.

Vel

Vel sic.

Qui se se solo recreat crebroque cachino,
Vel nil mentis habet, vel mala corda fouet.

Rusticus.

Vngentem pungit, pungentem rusticus vngit,
Rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens.
Nec prece nec laahrymis gens exoratur agrestis,
His siquidem admotis intumet illa magis.

Ruta.

Nobilis est ruta quia lumina reddit acuta,
Cruda comesta recens oculos caligine purgat,
Ruta viris venerem minuit, mulieribus addit.

Requies, Pax.

Pax adsit viuis, requies æterna sepultis,

Rusticus, Villicus.

Rusticus a rure est, quoniam rus fit sibi curæ,
Villicus a villa quia res disponit in illa.

SACERDOTIVM

Sacerdos.

Te primum benedic, nam præsbiter ipse facit sic.

Sacerdos qualis debet esse.

Non quisquis capiti superaddit pilea raso,
Est cito censendus præsbiter esse bonus.
Non toga talaris monachum capitisue corona,
Sed pietas constans, integritasque facit.
Præsbiter Angelus est si vixerit vt sibi ius est,
Dæmon erit potius si fugit esse pius,

Sacerdos non debet esse vxoratus.

Præsbiter vxorem qui ducit perdit honorem,
Amittit florem propter mulieris amorem.

Sacerdotum famuli pigri plerumq;

Præsbiterum famuli snut omni tempore muli,
Dum comedunt sudant, frigescunt quando laborant

Aduersarij elero.

Heretici, cattique, canes, si morte perissent,
Pax lepori, muri, præsbiteroque foret.

Sacrum.

Non vnctura rotam, nec tardat missa dietam.

Sacra celerius absoluenda.

Missa breuis, longa & farcimina, pinguis & offa,
Hæc bona sunt hyeme veluti vult vsus habere.

Vel sic.

Missam curtatam, longum farcimen & offam,
In carnis priuio concupit omnis homo.

Sal-

Saluia.

Saluia depellit rutæ permista venenum
Cum qua si potes tutior esse potes,
Saluia confortat neruos manuumque tremorem
Auxilio cuius febris acerba fugit.

Item.

Saluia cum ruta faciunt tibi pocula tuta.
Adde rosæ florem minuentque potenter amorem.
Cur moriatur homo cui saluia crescit in horto?
Nam pro vi mortis non est medinamen in hortis.

Salutatio.

Auriculæ dulci gaudent pronomine molles,
Hoc sine si sapias nomine nulla vores.
Si tibi quis læto processerit obuius ore,
Exoptans vitæ prospera cuncta tuæ,
Hunc bene velle tibi noli dubitare, vicissim
Corde tuo voces prome salutiferas

Modus alicui salutem propinandi.

Proficiat, prosit, conducat, sitque saluti.

Sapientia, Sapiens.

Non est crede mihi sapientis dicere Viuam.

Non est sapientis putare.

Se sapiens nunquam verbo excusare Putabam
Assolet, at bene quæ sunt facienda facit.

Sapientia huius mundi ſtultitia apud Deum.

Omnis in humanis vana est sapientia rebus
Quæ non a ſummi mente profecta Dei,
Ludit in humanis Diuina potentia vanis

Sathanas.

Præco venit Sathanæ quo non valet ipse venire.
Dæmon solus inops nam animæ est & corporis expers.

Saturari, ſatur.

Hospes ab hac mensâ fuerint dum viscera tensa,
Surgere ne properes, ni prius annumeres.
Impletus venter vult luxuriare libenter.
Non vult scire satur quid ieiunus paciatur.

In importunum hominem diutius menſæ aſſidentem.

Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti.
Tempus abire tibi est cum me iam sic monuisti.

Scientia.

Laus aliquid scire, turpe est nil discere velle.
Multi scire volunt sed vere discere nolunt.

Multa ſciendum ſed pauca loquendum eſt.

Omnia scire licet, sed non licet omnibus vti,
Contrarium faciens, facit hic aduersa saluti.

Scientia anteit omnia in mundo.

Vtilium semper perfecta scientia rerum,
Anteit ingentes totius orbis opes.

Anteit in mundo perfecta scientia cuncta,
Plus quam diuitias scire valere scias.
Quis diues? Sapiens, quis pauper? stultus iners q;
Si sapio, ergo breui tempore diues ero.

Qui se putat scire, non scit quomodo oporteat scire.

Omnis homo nihil est aliquid qui se putat esse,
Est aliquid quisquis se putat esse nihil,
Doctus ait se scire nihil, se plurima narrat
Scire sed indoctus, scit prior, iste putat.

Secreta.

Absque graui nullus retegat secreta periclo
Fæmineo (cum sit garrula lingua) gregi.

Secreta libenter scienti remedium.

Si seriem secretarum vis noscere rerum,
Ebrius, insipiens, pueri, dicent tibi verum.

Secreta non vnicuiq; reuelanda.

Non omni semper cordis secreta reuello,
Quod tribus est notum non est a plebe remotum.

Senex, Senectus.

Prudens. consilio vetus est vir, tardus eundo,
Plus valet vmbra senis quam gladius iuueni.

In senibus turpis res est libido.

Dico senem stultum, cuius Venus improba vultum
Vicit amore leui, stultitiaque breui,

Turpe senem vetitæ flagrare libidinis æstu,
Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Sensus hominis.

Gustus & olfactus cum auditu, visio, tactus,
Sunt sensus quinque hi, quorum peccata relinque.
Est oculus varios discernens ipse colores,
Auditusque sonos, tactus quoscunque dolores.
Nasus fætores, nasus discernit odores
Ast gustus solus scit noscere quosque sapores.

Seruitium, Seruius.

Non habeas seruum mendacem, siue superbum.

Mercedem famulis solue cito.

Si tibi seruierit quisquam da præmia, tecum
Ne retinere diu cures, si diligis æquum.

Qualis debet esse famulus.

Si seruire velis, humilis sis, atque fidelis.
Prouidus, & comptus, patiens, & ad omnia promptus.

Seni, mulieri, & puero caue seruias.

Ne famulare seni, puero, nuruumue coborti,
Ni vis seruitium sit sine fruge tuum.
Mors rapit atra senem, meriti obliuiscitur infans,
Ambiguam mulier possidet ipsa fidem.

Deo

Deo aliter & aliter homini inseruiendum.

Si famulare Deo poplitem curuabis vtrumq;
Sin homini, flexo sat facis alterutro.

Seruire Deo, est regnare.

Est plus æthereo regi quam viuere mundo
Hinc mors, vita illic non moritura venit.
Viue diu, sed viue Deo, nam viuere mundo
Mors est, vera meo viuere vita Deo.

Seueritas.

Non homo fit verus, qui vult nimis esse seuerus.

Ignoscas aliis multa, nihil tibi.

Triste rigor nimius, res estque remissio tristis,
Esto modus pœnæ, sit modus & veniæ.
Odimus accipitrem soleat quod viuere rapto
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.

Signa.

Signa pius vera non sunt mendacia mera.

Signa mali hominis.

Barba rubens, densisq; minus decorata capillis,
Est nota certa viri terque quaterque mali.
Intima per mores cognoscimus exteriores.
Sic dicunt gentes sequitur mala fama nocentes.

Similitudo, simile.

Omnis homo applaudit dum æqualem cernit & audit

Partes cum partibus facile commutantur.

Eligit æqualem prudens sibi quisque sodalem,
Omne suis animal paribus lætatur adesse.

Simplicitas, Simplex.

Simplex sæpe dolum duplici sub pectore cælat,
Simplex apparet, simplicitate caret.

Qui per mare currunt cælum non animum mutant.

Parsisios si quis rugientem mittat asellum,
Qui fuit hic asinus, non ibi fiet equus.

Simia est simia etiamsi aurea gestet insignia.

Cinge caput lauro, tege gemmis corpus & auro,
Si fueris pridem tu asinus remanebis & idem.
Est in persona pudor insipiente corona.

Simonia.

Crimen auaritiæ dirumque nefas simoniæ,
Regnat in Ecclesia liberiore via.

Simulatio, Simulator.

Omme genus pestis superat dissona verbis,
Sub pelle agnina latitat mens sæpe lupina.

Simulatio fæminis communissima.

Fæmineo nil est fletu fallacius vnquam,
Flet ridetque leuis fæmina quando libet.

Sitis.

Remedia contra sitim.

Solis quando æstus tibi fit sudore molestus,
Arridaque immitis fecerit ora sitis,
Linque canis stellam, gelidam mox quærito cellam,
Siccaq; sincero membra rigato mero.

Sobrietas.

Præstat sobrietas vitæ vt sit longior ætas.
Sed facit ebrietas vitæ breuiare dietas.
Sume merum modice, modico natura iuuatur.

Societas, Socius.

Non bonus est socius qui mandit omnia solus.
Noscitur ex comite is quæ non coguoscitur ex se.

Cum bono bonns eris, cum peruersero peruc[s]eris.

Surgit origo mali de turpi sæpe sodali,
Vnica praua pecus, inficit omne pecus.

Item.

Talis semper eris consortia qualia quæris.

Somnus.

Dormiet illæsus melius quam verbere cæsus.

Somnus meridianus fugiendus.

Surgens post epulas somnum fuge meridiauum,
Aut breuis, aut nullus somnus sit meridianus,

Hinc

Somnus meridianus.

Hinc veniunt febres, capitis crebrique dolores.

Spes, Fiducia.

Spes laqueo volucres, spes captat arundine pisces,
Tandem expectando maiora senescimus omnes.

Spes alit, & fallit.

Cum spes frustratur non spes sed pæna vocatur,
Spes reficit dominum, fallit & ipsa suum,
Qui spes ipse sibi spe sæpe labescis inani,
Dum spiro spero, sed dubito quis ero.

Stercora, sordes.

Res satis est nota, plus sordent stercora mota,
Sus magis in cæno gaudet, quam fonte sereno.

Stultitia.

Lætiferat stultum dives possessio multum,
Reddunt delirum, fæmina, vina, virum.

Nonnulla efficientia stultum sapiente.

Fæmineæ fraudes, donumq; suaue lyæi
Efficiunt stultum de sapiente virum.

Subditus.

Argenti quantum subiectus seruet in arca,
Non opus hoc domino prodat vt ipse suo.
Rusticus est fælix & terque quaterque beatus,
Cui satis est panis, lardum nec defficit vnquam.

Superbia.

Cum bene pugnabis, cum cuncta subacta putabis,

Quæ magis infestat vincenda superbia restat.

Honores mutant mores.

Mutantur mores quando comitantur honores,
Sæpe solet census hominum peruertere sensus.
Magnarum comes est immensa superbia rerum,
Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

Superbis Deus resistit.

Est verum verbum: frangit Deus omne superbum,
Vindicat elatos iusta ruina gradus.

Causæ ob quas homo extollitur.

Luxus opum, proles generosa, scientia, forma,
Bis duo sunt quo quis extollit se se sine norma,
Tu nimis extolli per prælia prospera noli.
Regi namq; poli sunt omnia subdita soli:

Quid superbis terra & cinis.

Vnde superbit homo cuius conceptio culpa,
Nasci pæna, labor vita, necesse mori,
Quid miser elato turgescis homuncule vultu?
Cras eris in vili putre cadauer humo,

Surdus.

Surdo canitur fabula.

Surdo nemo duas præsumat psallere missas,
Cantio bis frustra surdas cantantur ad aures.

Sydera cælo addere.

Is mos est genti: panis præbetur habenti

Queis

Queis satis est, his plura adsunt, his vndiq; fertur.
Cui sunt multa bona huic tribuuntur plurima dona,
Huic datur, huic emitur, pauper vbique iacet,
Vndiq; per montes currunt ad flumina fontes.

Sal.

Sal doctum reddit, sal condit. sal reprehendit.

Securus, Securis.

Non sunt securi qui dant sua colla securi,

Sepire, vallare.

Vallamus proprie castrum, sæpimus ouile.

Serus, Sera.

Fur obstante serâ non furta facit nisi sera.

Sitis, Fames.

Dura sitis, polando fames reparatur edendo.

Spurius, Manſer, Nothus

Nothus adulterio natus, Manser meretrice,
De concubinâ spurius eſse solet.

TACITVRNITAS.

Dico prudenter homines perpauca loquentes
Melius eſt tacere quam loqui indecenter.
Sunt multo vanis meliora silentia verbis,
Perdo silere bonum, dum loquor ipse malum.

Pauca loqui ſapientis eſt.

Sic linguam frena certa rationis habena,

Ne te confundat si verba superflua fundat.
Fac bene, dicq; parum si vis te reddere charum,
Fac male, dic multum, si vis te reddere stultum.

Multa loquens omnibus abominabilis.

Est puer ingratus mala qui garrire paratus,
Parturit inuidia garrulitatis amor.
Sæpe carent multa responsis verbula stulta,
Quod facturus eris dicere distuleris.

Tempus.

Tempora mutantur, & nos mutamur in ipsis,
Qnam breuis est hora hæc quæ labat absq; mora.

Tolle moras celeres menses labuntur & anni.

Ne quod agas mora fugit annus, mensis, & hora
Tempora labuntur nec hæc meliora sequuntur

Omnia suum tempus habent.

Est tempus fandi, standi est, & tempus eundi,
Nunc dormire licet, nunc vigilare bonum est,
Diuersis fiunt diuersa probantur & horis,
Congruit hæc fatuis, congruit illa sophis.

Hæc est hora loquenti & illa est apta tacenti,
Conuenit hæc pugnæ, conuenit illa fugæ.
Omnia tempus habent, flebis dum tempora flendi,
Ride dum risum tempora læta ferunt.

Tempus omnia reuelat,

Quicquid nix cælat, solis calor omne reuelat,
Quæ mala tecta latent, tempore cuncta patent.

Præteriti nullus reuocabit temporis horas.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum,
Quisq; potest rebus succurrere, nemo diebus.

Testes, Testimonium.

Inueniet falsos testes qui quæritat illos.

Testes facile muneribus corrumpuntur.

Inuenies passim cupidos qui munera poscunt
Coram iudicibus vera referre nolunt.

In testibus obseruanda.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Terra.

Quicquid terra parit rursum putrescit in ipsa.

Terra nutrix omnium.

Terra feras capit, volucres agitabilis aer.
Altiuolans volucris tamen escam quærit in immis.

Timor.

Quattuor ista timorque odium, dilectio, census,
Sæpe solent hominis rectos peruertere sensus.

Deus magis timendus quam homo.

Cum quis turpe facit mox me spectante rubescit,
Cur spectante Deo non magis ille timet?

Vbi timor ibi & honor.

Quando puer crescit simul haut metuendo grauescit,
Tunc sibi decrescit honor omnis quando senescit.
Debet adesse timor, vel perit omnis honor.

Timidi non triumphant.

Non mare transisset pauidus si nauta fuisset,

Ramum quemq; timens malus est venator & amens,
Nec venit ad siluam qui cuncta rubeta veretur.

Turpitudo, obscænitas.

Turpia nec patres, nec turpia mente volutes,
Ipsemet ingenium fac vereare tuum.

Tranquillum, serenum.

Dic mare tranquillum, cælum dic esse serenum.

VANITAS.

Offendit omnis optimum
Rerum Parentem vanitas.

Venus.

Quid facies facies Veneris, cum veneris ante,
Ne sedeas sed eas, ne per eas pereas.
Curis arctatur qui Veneri associatur.
Cum cerere & Bacho veneri solennia fiunt.

Veritas.

Verbum laudatur si factum tale sequatur.

Veritas odium parit.

Hic offendit herum qui vult nimis edere verum.
Displicet onus hero qui vult intendere vero.
Ostia clausa sera mihi sunt quia profero vera.

Vestis, vestitus.

Quisq; mihi testis placeat mage quam modo vestis,
Plus valet amictus mundo quam maxima virtus.

Vestes non homines omnis honorat homo.

In vili veste nemo tractatur honeste.
Si te non amicis, nunquam placebis amicis,
Plus valet ornatus mundoquam quisque beatus,
Hunc homines ardent cui vestimenta resplendent,
Si careas veste nec sis vestitus honeste,
Nullius es laudis quamuis sapis omne quod audis.

Vestitus pomposus pauperes efficit.

Qui nimium cultus amat hic fit pauper adultus,
In vestimentis non est sapientia mentis.

Vetustas.

Antiquus gladius, vetus atque fidelis amicus,
Sint tibi pro muro cum stas in tempore duro.
Antiquus bonus est medicus, tonsorque nouellus.

Vexatio.

Est misero peius derisio, quam dolor eius.

Vexatio dat intellectum.

Nescit homo vere quid habet nisi cesset habere,
Quæ pro parte nocent, plurima sæpe docent.

Victoria.

Vinere cor proprium plus est quam vincere mundum

Vicissitudo rerum.

Quisquis non flebit dum flendi tempus habebit,
Æterno luctu flebit post, sed sine fructu.
Dum puer es serui si vis vt sint tibi serui.

Virgo.

Virginis in cultum spectans, spectet quoq; luctum
Culta puella magis, casta puella minus.

Virgo natura, quæ non nubit est ruitura.

Vires.

Tu vires metire tuas, si fortis es aude
Gaudia, si infragilis, tu humeris impone minora.

Nil vires supra.

Hoc attentabis fieri quod posse putabis,
Displicet ille labor, sub cuius pondere labor,
Non canit in templo nisi quod scit præsbiter amplo.
Quod potes id tecum tentes, & viribus æquum.

Virtus.

Illustrem gentem satis hic habet atque parentem,
Qui virtute suam nobilitat patriam.
Scire bonos mores dat diuitias & honores,
Donabit scire, & miseros cum regibus ire.

Virtus omnia in se habet bona.

Nulla valet vita nisi sit virtute polita,
Vir sine virtute, hic manet absque salute.
Dilige virtutem si vis retinere salutem.

Vita.

Quid prodest homini si viuat secula centum,
Cum moritur vitam transisse putat quasi ventum.

Vitæ hominis descriptio.

Vita quid est hominis nisi res vallata ruinis,
Tristis ad extremum sollicitudo diem,
Vita quid est? labor est & habendi vana cupido.

Vita breuis & momentanea.

Est tua vita breuis, modo viuis cras morieris,
Namq; hæc vita breuis transit vt vmbra leuis.
Quod fuit, est, vel erit, perit articulo breuis horæ,
Ergo nihil prodest esse, fuisse, fore.
Vita breuis velut vmbra leuis sic annihilatur,
Sic vadit, subitoque cadit dum stare putatur.

Vita humana plena doloribus.

Fallitur insipiens vitæ præsentis amore,
Sed bene scit sapiens quantum sit plena dolore,
Omnis in hoc mundo fragilis stat sicut arundo,

Itur quo scitur, nescitur quando reditur,
Non valet absque suo væ, viuere filius Euæ,

Vitanda homini.

Inconstans animus, lumen vagum, & instabilis pes
Sunt tria vitanda huic de quo bona nulla mihi spes.

Vinum.

Vinum da docto, laico de flumine cocto.

Vinum lætificat cor hominis.

Mortales lætos vinum facit atque facetos
Vinum dat festum, frigus conuertit in æstum,
Lætificat mestum, miserum quoque reddit honestũ,
Vinum subtile facit in sene cor iuuenile,
Sed vinum vile, hoc reddit iuuenile senile,
Viuat in æternum qui dat mihi dulce falernum,
Qui mihi dat villum, mala paßio torqueat illum.

Vitia.

Nemo nimis propere didicit nocitura cauere.

Vitia remonenda.

Prorsus & absque mora vitium remouere labora,
Mitte repente malum, consueta relinquere durum.

Aliena vitia cernimus nostra á tergo sunt.

Si quis ab alterius visu vult tollere labem,
A proprio primum detrahat ille trabem.

Nemo absqe vitio aliquo.

Qui sint absq; Nisi *non sunt homines mihi visi,*
Si Nisi *non esset, perfectus quilibet esset.*
Omne bonum quod habes, contaminat vnica labes.

Voluntas.

Stat voluntas profacto.

Pauperis in mensâ vultum non fercula pensa,
Dat pira dat poma hic, quia non habet alia dona.
Accipe corde bono quæ pauper munera dono.

Item.

Vt de-

Vt desint vires tamen est laudanda voluntas.

Volenti facile imperare.

Frustra est ducendus nolens procedere tardus,
Quando libens graditur, crine vir attrahitur.

Volenti nihil difficile,

Hoc præstat leuiter, quod præstat quisque libenter,
Inuitis canibus nil venator capit vllus,
Bos ad aquam ductus non vult potare coactus,

Velle suum cuiq; est.

De morbo gaudet Medicus, de morte Polynctor,
Miles equis, piscator aquis, & Clericus hymnis,
Nauta fretis, pugiles morte, poetica metris:
Quilibet in capite est crede ingenium speciale,
Bos ad præsepe conatur currere sæpe.

Item.

Nauita de ventis de bobus narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Vele-

Voluptas.

Sperne voluptatem, pulchram cole sobrietatem.

Breue est voluptatis inhonestæ gaudium.

Nulla sors longa est, dolor, ac voluptas,
Inuicem cedunt, breuior voluptas.
Mille parit culpas crebro breuis vna voluptas

Vox.

Si vox est canta, si mollia brachia salta,
Et quacunque potes arte placere, place.
Vox audita perit litera semper erit.

Obstantia voci.

Nux, oleum, nudumq; caput, pomum quoq; crudum,
Vinum non paucum, faciunt super omnia raucum.

Vnum nihil.

Vnus homo veram nunquam facit esse choream,
Solus quando datur, tunc nullus homo reputatur.

Vul-

Vultus.

Intima per mores cognoscimus exteriores.
Vultu talis eris qualia mente geris

Vultus proditor animi.

Est vultus testis quales intrinsecus estis.
Te prodit facies, tu mala cum facies,

Vxor.

Qui capit vxorem, capit absque quiete laborem,
Longum languorem, lachrymas, cum lite dolorem;
Fæmina quem superat nunquam viuit sine pœna,
Libertate caret durâ constrictus habena.
Fælices illi quos non capit illa sagena,
Nam nisi mors veniat non rumpitur ista cathena.

F I N I S.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0018884

